

Et mox remedium evadendi hosce laqueos assignans : « Ne deorsum, inquit, volumus, sed superiora quæramus. Etenim volatilia, donec altum aerem secant, non facile capiuntur : ita tu donec ad superiora respexeris, nec laqueo, nec ullis facile capieris insidiis. Venator est diabolus. Fias igitur ipsius iustris sublimior. In altum ascende. » non amplius ullam rerum admirabitur humanarum. Sed sicut, postquam in montium verticem ascenderimus, parva nobis et urbes et mœnia esse videntur, et formicarum more nobis viri super terram ire videntur : sic, postquam supra celsam Philosophiæ cogitationem ascenderis, nihil te terrenorum percellere poterit ; sed parva videbuntur omnia, et divitiæ, et gloria, et potentia, et honor, et si quid aliud huiusmodi, cum cœlestia respicias : sicut scilicet et Paulo parva omnia videbantur, et mortuis inutiliora, quæ in præsentia vita sunt splendida. Propterea et clamabat dicens : Mihi mundus crucifixus est. Propterea et admonet dicens : Quæ sursum sunt, sapite. Propterea alæ sunt aviculis, ut effugiant laqueos : propterea ratiocinationes hominibus, et peccata devitent. » Idem in *Psal.* cxli : « Diabolus, inquit, suas occultat insidias ; quapropter magna nobis cautione et vigilantia opus est. Occultat enim laqueum in elemosyna, nempe vanam gloriam, in jejuniis arrogantiam, et in aliis aliis, in ipsis viis in quibus ambulamus. »

21. SECUNDUM VIRTUTEM TUAM CAVE TE A PROXIMO TUO, (q. d. Quantum vales et potes, cave tibi a proximo tuo, ut, scilicet, caute eum, ejusque actus et consilia explores, ne quid mali tibi machinetur, nec nisi bene explorato credas, ac te et tua committas. Unde pro *cave*, græce est *εὐχρηστος*, quod significat intendere et intentissime aspicere, uti facit sagittarius, dum in scopum jaculatur. Quocirca apposite subdit) : ET CUM SAPIENTIBUS ET PRUDENTIBUS TRACTA, — q. d. Noli cuiquam consilia et secreta tua communicare, cum eoque tractare, nisi quem prius bene exploraveris, ac cognoveris esse sapientem, fidum et prudentem. Tigurina : *Quam potes, sedulo explores amicos* (Hebr. enim *רעים* *reim*, et amicos sive sodales et proximos significat), et cum sapientibus consilia confers; alii : *Pro virili conjecturam facito de proximis, et cum sapientibus consultato.* *Στοιχίζουμαι* enim significat quoque colere, et nutus ejus observare, quem colere constituisti, indeque conjectare et conjecturam de eo facere. Ita Complutenses et Romana ; Syrus generalius vertit : *Juxta fortitudinem tuam conversare* (vel responde) *cum proximo tuo, et cum sapientibus esto communicans* (quasi nodo colligans) *secretum.* Græca et Syrus hic intextunt aliam sententiam, qua carent Latina, scilicet, hanc : *Cum intelligentibus sit collocutio* (disputatio, disquisitio, disputatio ; hanc enim significat *διαλογισμός*) *tua, et omnis enarratio tua in lege Altissimi ; Tigurina : Colloquia tua cum cordatis habeas, et de lege Altissimi sit omnis tua disputatio :*

Græce enim est *dehynsis* ; Syrus : *Cum eo, qui timet Deum, sint rationes* (cogitationes, tractatus ; Italice, *li conti*) *tua, et omnes viæ tuæ in timore Domini.*

22. VIRI JUSTI SINT TIBI CONVIVÆ, — ut convivium tuum sit honestum et sobrium, ac conditum honestis piisque sermonibus ; injusti enim ita vacant implendo ventri, ita linguam petulantiter solvant in verba scurrilia et obscœna, detractoria, maledica (quibus sanè valde a multis peccatur in conviviis), ut ea peccatorum sint plenissima ; ac proinde sapienter monet hic Siracides, ea non nisi cum justis et timoratis institui. Quocirca S. Augustinus suæ mensæ hos versus inscripserat, ut a convivis assidue legerentur :

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

Et ideo ait Possidius in *Vita S. Augustini* : « Omnem convivam a superfluis et noxiis fabulis, et detractionibus, sese abstinere debere admonerat. Nam et quosdam suos familiarissimos Coepiscopos illius scripturæ oblitos, et contra eam loquentes, tam aspere aliquando reprehendit, ut diceret, aut delendos esse illos de mensa versus, aut se de media refectione ad suum cubiculum surrecturum. » Ita Tobias cap. ii, vers. 2, non nisi timentes Deum ad convivium vocari jussit. Unde sequitur :

ET IN TIMORE (Tigurina, *religione*) DEI SIT TIBI GLORIATIO, — q. d. Gloriare quod justos et timentes Deum habeas familiares et convivas, potius quam nobiles et divites, quia gloria vera est timor Dei, ac consequenter gloriosi sunt, non nobiles, sed timentes Deum, quos habes convivas. Rursum gloriare quod cum timentibus Deum epularis, cum iis Deum laudes et glorifices, quodque ab iis ad Dei laudem et glorificationem accendaris, et ipse pariter eos accendas. Syrus : *Viri justi sint comedentes mensam tuam* (epulas in mensa appositas), et in timore Domini sit laus tua. Talia erant primorum Christianorum convivia, quæ a charitate et amore, ac laude Dei vocabantur Agapæ, de quibus ita sancit S. Paulus *Ephes.* v, vers. 48 : « Nolite inebriari vino, in quo est luxuria ; sed implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo et Patri. » Vide ibi dicta.

Porro causa cur justos et timentes Deum vellet invitari ad convivium, potius quam divites et nobiles, est quam subdit : « Et in sensu sit tibi cogitatus Dei, et omnis enarratio tua in lege Altissimi ; » ut, scilicet, cum justis et timentibus Deum tractes de Deo, ac loquaris de ejus lege : impii enim hosce de Deo et pietate sermones non capiunt, nec sapiunt, sed spernunt et fastidiunt. Atque hac ratione hi duo versus apte inter se cohererent et conjunguntur.

23. ET IN SENSU SIT TIBI COGITATUS DEI, ET OMNIS ENARRATIO TUA IN PRÆCEPTIS ALTISSIMI. — Græca hoc versu carent ; sed pro eo habent hunc : *Cum sapientibus, vel intelligentibus sit collocutio, vel disquisitio tua, et omnis enarratio tua in lege Altissimi ; eumque præponunt versui præcedenti, uti dixi in fine vers. 21. Noster pro *μὲν συνεστῶν*, id est, cum sapientibus, vel intelligentibus, videtur legisse, *μὲν συνέσει*, id est cum sensu, id est sapientia, prudentia, intelligentia, sit tibi *διαλογισμός* *θεοῦ* (jam legunt *σέβ*, id est tua), id est, cogitatio et disquisitio Dei, q. d. Cogitatio tua de Deo non sit erronea, absurda, absurda Deoque indigna, ut de Deo cogites, vel more Gentilium, fingendo Deum esse corporeum, finitum, futurorum nescium, improvidum, etc. Vel more hæreticorum, fingendo unam personam duraxat in Deo, vel in tribus personis tres pariter essentias, etc. Vel more carnalium, fingendo Deum agi ira, amore, odio, concupiscentia instar hominum. Sed cogitatio et disquisitio tua de Deo sit digna, sapiens et sensata : puta, ut cogites Deum, Deique attributa talia, qualia depingit ea fides, sacræ Scripturæ et Patres. Rursum, sicut cogitatio de Deo debet esse sensata in corde et mente, sic et in ore omnis enarratio et locutio tua debet esse in lege Altissimi, quantum, scilicet, per occupationes et infirmitatem humanam fieri potest, q. d. Quando non occuparis aliis negotiis, cogita de Deo, et loquere de ejus lege, præsertim in conviviis, de quibus sermo præcessit, uti olim faciebant Christiani in Agapæ. Ita de S. Thoma Aquinate et de S. Dominico legitur, quod omnis eorum sermo erat cum Deo vel de Deo. Hoc consilium est, non præceptum. Aut certe : « Omnis enarratio tua sit in lege Altissimi, » id est, sit conformis legi Altissimi, ne contra eam pecces ; sed juxta eam dirigas omnes tuos sermones. Hoc est præceptum. Simili sensu ait Apostolus I *Cor.* x, 31 : « Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. »*

Igitur *in sensu* accipi potest dupliciter. Primo, « in sensu, » id est, in mente, « sit tibi cogitatus Dei, » sicut in ore sit « enarratio » de lege Dei. Secundo, « in sensu, » id est, sensata et prudens sit cogitatio tua de Deo, uti paulo ante exposui. Id præstitit David dicens *Psal.* xv, 8 : « Providebam Dominum in conspectu meo semper ; » et Moses, qui « invisibilem tanquam videns sustinuit, » *Hebr.* xv, 27 : et Elias dicens : « Vivit Dominus, in cujus conspectu sto, » III *Regum* xvii, 1. Hæc porro est inchoatio quædam vite angelicæ et beatæ : Angeli enim semper vident faciem Patris, *Matth.* xviii, 10. Simile monitum filio dedit Tobias cap. iv, 6 : « Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum ; et cave ne aliquando peccato consentias, et prætermittas præcepta Domini Dei nostri. » Et vers. 20 : « Omni tempore benedic Deum, et pete ab eo, ut vias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant. » Vide Da-

mascenum lib. I *Parallel.* cap. viii, ubi inter alia citat illud Nazianzeni : « Dei sæpius meminisse oportet, quam spiritum ducere, at dicas : Quoties suspiro et respiro, ad te, o Deus meus, suspiro. » Et illud S. Basilii : « Dei inhabitatio in hoc sita est, ut quispiam Deum per recordationem in seipso fixum habeat. » Præclare S. Chrysostomus in *Psal.* cxl : « Omnis narratio tua sit in lege Altissimi. Si enim, inquit, didiceris nihil loqui supervacaneum, sed divinarum Scripturarum narratione mentem et orem tuam perpetuo munias, erit custodia quovis adamante tutior. Per os enim sunt multæ viæ interitus, ut, quando quis obscœna, scurrilia, superba loquitur. » Nazianzenus in *Tetrastichis* :

Deo et supernis rebus haud unquam satur
Esto : dat illis plura, qui ultro sumpserint,
Sitiens sitiiri, largus et cunctis fluens :
Vinci at moleste ne feras in cæteris.

Ita S. Ignatius damnatus Romæ ad bestias, prodians in amphitheatrum, et spectantes salutans : « Hue, inquit, venio, ut pro Christo moriens illi uniar, quem insatiabiliter desidero. »

24. IN MANU ARTIFICUM OPERA LAUDABUNTUR, ET PRINCEPS POPULI IN SAPIENTIA SERMONIS SUI : IN SENSU VERO SENIORUM VERBUM. — « In manu, » id est propter, vel per industriam et artem manus artificum, « opera » eorum, quasi per eam affabre et artificiose facta, « laudabuntur. » Manus enim artificiosa magni artificis dat operi suo laudem : sic et « princeps populi » laudabitur « in sapientia, » id est, per sapientiam « sermonis sui ; » sic et « verbum seniorum » laudabitur « in sensu, » id est, in prudentia, si, videlicet, prudens sit, grave et sensatum : quale decet senes. Græca sententia de more est concisa et bimembris : sic enim habet : *In manu artificum opus laudabitur, et princeps populi sapiens in sermone suo.* Vel, *de manu artificum laudatur opus, et doctor populi sapiens est de sermone suo, q. d. Sicut ars manus laudabile facit opus artificis, sic sapiens sermo laudabilis facit principes : hoc enim est opus principis, nimirum, ut sapienti suo sermone persuadeat populo quod rectum, utile et justum est, lites componat, tumultus et seditiones dissipet, unionem, pacem et concordiam stabiliat : quæ si præstet, utique magnus erit artifex ; magnus, inquam, populi rector et gubernator, magnus Apollo. Unde Tigurina vertit : *De manu artificum* (verbi gratia, quod hoc sit opus et pictura Apellis, Phidiae, Polycteti aliorumque celebrium artificum) *opus laudem inveniet ; at de sermone suo dux populi sapiens ; ipse vero sermo a senili prudentia : repete laudem inveniet.* Paulo aliter Syrus : *In sapientia judicis possidebis civitatem, et princeps populi tui sapiens et intelligens.**

Transit Siracides a præceptis ethiceis, quæ vitam cujusque ad normam legis et virtutis efformant, ad politica, quæ rempublicam componunt.

Deinceps ergo usque ad cap. xi, vers. 7, instruit principes et magistratus, docetque quæ in administratione fugere, quæ sectari debeant. Hic ergo versus et sequens pertinent ad caput proximum, deoque illud hic inchoari posset.

25. TERRIBILIS IN CIVITATE SUA HOMO LINGUOSUS : ET TEMERARIUS IN VERBO SUO ODIBILIS ERIT. — Est antithesis. Sapienti enim eloquio principis, quo civitatem totam componit, opponit linguosum et temerarium in loquendo, qui totam civitatem confundit et perturbat, ideoque procul ab ea ar-

cendus et ablegandus est. Hic enim omnibus est terribilis, qui omnes suis diceriis instar tauri cornupetæ impetit, litesque et rixas concitat, ideoque cunctis est odibilis. Tigurina : *Formidandus est in civitate sua vir linguax, et sermone suo temerarius* (græce *προνετής*, id est præceps, effusus, temerarius, effrenis, petulans, procax, protervus, insolens, contumax) *meretur odium*; Syrus : *Terribilis est in civitate vir contentiosus; et qui accipit in ore suo (contentiones), ediosus est.*

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet rempublicam optime gubernari a principe prudente, qui in omnibus pendet et subijcit se Deo; unde vers. 7 usque ad 23, novem rationibus demonstrat, quam prava et noxia sit superbia. Denique, vers. 23 usque ad finem, docet, verum honorem et gloriam hominis consistere, non in superbis opibus et dignitatibus, sed in timore et obsequio Dei.

Porro novem rationes ad cavendam superbiam sunt hæ. Prima, vers. 7, quia ipsa odibilis est Deo et hominibus. Secunda, vers. 8, quia superbia est causa injustitiæ, rapinæ, contumeliæ et doli, ob quæ Deus transfert bona et regna gentium. Tertia, vers. 9, quia homo, licet potens et rex, ex natura sua est vilissimus. Quid ergo superbit terra et cinis? Quarta, vers. 11 et 12, quia honor omnis, æque ac vita, brevis est et vanus: nam rex hodie est, et cras morietur. Quinta, vers. 13, quia homo post mortem erit esca serpentium et vermium. Sexta, vers. 14, quia superbia est apostasia a Deo. Septima, vers. 15, quia initium omnis peccati est superbia: qui tenuerit illam, implebitur maledictis. Octava, vers. 16 et sequent., quia Deus subvertit thronos, opes, pompas, et memoriam superbiorum; humilium vero elevat et firmat. Nona, vers. 22, quia superbia est creatura, non Dei, sed diaboli.

1. Judex sapiens judicabit populum suum, et principatus sensati stabilis erit. 2. Secundum judicem populi, sic et ministri ejus: et qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea. 3. Rex insipiens perdet populum suum; et civitates inhabitabuntur per sensum potentium. 4. In manu Dei potestas terræ: et utilem rectorem suscitabit in tempore super illam. 5. In manu Dei prosperitas hominis, et super faciem scribæ imponet honorem suum. 6. Omnis injuriæ proximi ne memineris, et nihil agas in operibus injuriæ. 7. Odibilis coram Deo est et hominibus superbia: et execrabilis omnis iniquitas gentium. 8. Regnum a gente in gentem transfertur propter injustitias, et injurias, et contumelias, et diversos dolos. 9. Avaro autem nihil est scelestius. Quid superbit terra et cinis? 10. Nihil est iniquius quam amare pecuniam: hic enim et animam suam venalem habet, quoniam in vita sua projecit intima sua. 11. Omnis potentatus brevis vita. Languor prolixior gravat medicum. 12. Brevem languorem præcidit medicus: sic et rex hodie est et cras morietur. 13. Cum enim morietur homo, hæreditabit serpentes, et bestias, et vermes. 14. Initium superbiæ hominis, apostatare a Deo. 15. Quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus: quoniam initium omnis peccati est superbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, et subvertet eum in finem. 16. Propterea exhoravit Dominus conventus malorum, et destruxit eos usque in finem. 17. Sedes ducum superbiorum destruxit Deus, et sedere fecit mites pro eis. 18. Radices gentium super-

barum arefecit Deus, et plantavit humiles ex ipsis gentibus. 19. Terras gentium evertit Dominus, et perdidit eas usque ad fundamentum. 20. Arefecit ex ipsis, et disperdidit eos, et cessare fecit memoriam eorum a terra. 21. Memoriam superbiorum perdidit Deus, et reliquit memoriam humilium sensu. 22. Non est creata hominibus superbia, neque iracundia nationi mulierum. 23. Semen hominum honorabitur hoc, quod timet Deum: semen autem hoc exhorabitur, quod præterit mandata Domini. 24. In medio fratrum rector illorum in honore: et qui timent Dominum, erunt in oculis illius. 25. Gloria divitum, honoratorum, et pauperum, timor Dei est. 26. Noli despiciere hominem justum pauperem, et noli magnificare virum peccatorem divitem. 27. Magnus, et judex, et potens est in honore: et non est major illo, qui timet Deum. 28. Servo ænsato liberi servient: et vir prudens et disciplinatus non murmurabit correptus, et inscius non honorabitur. 29. Noli extollere te in faciendo opere tuo, et noli cunctari in tempore angustiae. 30. Melior est qui operatur, et abundat in omnibus, quam qui gloriatur, et eget pane. 31. Fili, in mansuetudine serva animam tuam, et da illi honorem secundum meritum suum. 32. Peccantem in animam suam quis justificabit? et quis honorificabit exhorantem animam suam? 33. Pauper gloriatur per disciplinam et timorem suum: et est homo qui honorificatur propter substantiam suam. 34. Qui autem gloriatur in paupertate, quanto magis in substantia? et qui gloriatur in substantia, paupertatem vereatur.

PRIMA PARS CAPITIS,

QUA DOCET REGIMEN BONUM REIPUBLICÆ PROFICISCI A PRUDENTIA PRINCIPIS, AGNOSCENTIS SE POTESTATEM OMNEM HABERE A DEO.

JUDEX SAPIENS JUDICABIT POPULUM SUUM, ET PRINCIPATUS SENSATI STABILIS ERIT. — Judex, id est princeps: potissimum enim munus principis est iudicium et judicare, puta, in iudicio et æquitate regere populum; ut exclusa injustitia et iniquitate, servetur debitus justitiæ ordo, indeque pax et quies publica. Quæ omnia breviter complexus est regius, Propheta, prænuntians regnum Salomonis, et in eo regnum Christi, *Psal. LXXI, 1*, dum ita canit: « Deus, iudicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis. Judicare populum tuum in justitia, et pauperes tuos in iudicio. Suscipiant montes pacem populo, et colles justitiam. Judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum, et humiliabit calumniatorem. Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis, donec auferatur luna. Hinc principes vocantur iudices; unde inscribitur liber Judicum, id est, principum Israel: tales enim fuere Othoniel, Barac, Gedeon, Samson, Samuel, etc, quorum gesta in libro Judicum describuntur. Pro *judicabit*, græce est *παιδεύσει*, id est docebit, erudiet juxta leges justitiæ et Dei. Rabanus legit, *vindicabit*, scilicet innocentes a nocentium injuriis.

Pro *stabilis*, Complutenses legunt *τεταγμένος*, id est *protensus*; Romana *τεταγμένος*, id est *ordinatus*,

et, ut Tigurina, *compositus erit*. Complutenses ergo sic habent: *Judex sapiens erudiet populum suum, et principatus prudentis protensus erit*, puta, exstendet se ad multas gentes, et ad multos annos, quia, ut Romana, *ordinatus erit*. Ordo enim facit pacem, pax utilitatem, stabilitas longævitatem et amplitudinem, juxta illud *Prov. xxix, 14*: « Rex, qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum fundabitur. » Rursum Lyranus et Jan-senius pro *stabilis*, legunt *terribilis*, *q. d.* Princeps sapiens terrori erit improbis, ut nemo audeat eum invadere, uti fuit Salomon: videtur enim alludere ad illud *Cantic. vi, 9*: « Terribilis ut castrorum acies ordinata. » Verum Biblia Latina et Græca constanter habent, *stabilis*, vel *ordinatus*, non *terribilis*. Sic et Syrus: *Judex sapiens, inquit, docebit populum suum, et princeps sapiens stabiliet civitatem suam.*

Præclare Plinius in *Panegyrico ad Trajanum*: « Nullum, ait, est præstabilius et pulchrius Dei munus erga mortales, quam castus, savotus et Deo simillimus princeps; » et Plutarchus in *Numa*: « Cum reges, inquit, sapientes sunt et sancti, tunc resp. maximum quoddam ac divinum donum a Deo se accepisse existimet. » Ratio a priori est, quod tota recte gubernandi ratio consistat in sa-